

ſcuro & inglorij iacebant, è tenebris & ſi-
 lencio in lucem & gloriam vult ſæpenu-
 mero Deus euocare. Vt lignum vi ac im-
 petu in gurgitem proiectum tamenſi ver-
 gat ad profundum, non poteſt tamen diu
 eſſe ſub aquis, quin ſurſum aſcendat, &
 proferatur in lucem, ſic vir pius, virtute
 præditus & ſcientiæ ornamentis perpolti-
 tus, tamenſi ab improbis & inuidis ſit con-
 temptus, qui ei noctem offundere velint,
 eumque in tumultu perpetuæ obliuionis
 ſepelire, non tamen ibi diu latebit, nam
 Deus eum extollere, & in ſublimibus hono-
 rum gradibus collocabit. Id inteuſ ditus
 Ambroſio in Lucam: Bona, inquit, humi-
 litas nihil appetendo totum quod cõre-
 nit, adipiſcitur. Et Gregorius libro octauo
 Moralium: Quiſquis nunc ſe ſponte non
 humiliat, nequaquam hunc ſequens glo-
 ria exaltat. Et Bernardus in quadam epi-
 ſtola: Iacta in te fundamentum humilita-
 tis, & peruenies ad ſanctium charitatis.
 Admirabilis quippe virtus eſt humilitas,
 imò virtutum conſeruatric. Hieronymus
 in epiſtola ad Celaniam: Nihil, inquit, eſt
 quod nos ita & hominibus gratos, & Deo
 faciat, quàm ſi vitæ merito magni. humi-
 litate tamen inſimi ſimus. Auguſtinus de
 verbis domini: Cogitas magnam conſti-
 tuere fabricam celiſtudinis, de fundamē-
 to prius cogita humilitatis. Eam ob cau-
 ſam ait diuus Paulus capite ſecundo ad
 Philippenſes: Nihil per contõtionem, nec
 inanem gloriam, ſed in humilitate ſupe-
 riores ſibi inuicem arbitrantur. Acſi di-
 cat: Nihil faciatis inflati opinione, aut
 inani gloria ducti, ſed vnuſquiſque alios
 præſtantioreſ ſe eſſe exiſtmet. Et capite
 quarto ad Ephēſios: Obſecro vos ego vin-
 ctus in domino, vt dignè ambuletis voca-
 tione, qua vocati eſtis cum omni humili-
 tate & manuſuetudine, cum patientia ſup-
 portantes inuicem in charitate. Et quia hu-
 militas eſt cum aliis virtutibus copulata,
 ideo in hoc trium puerorum cantico hu-
 miles cum ſanctis coniunguntur.
 ¶ *Benedicite e Anania, Azaria, & Mi-
 ſael domino.* Præcipuo quodam modo
 ipſi pueri Hebræi ob collatum in ſe admi-
 rabile beneficium ad diuinas laudes præ-

dicandas viciffim inuitantur. Expreſi enim
 erant ab igne fornacis ardentiſ.

¶ *Benedicite omnes religioſi domino.* Tunc
 religio verſatur in animis noſtris, cū re-
 bus diuinis operam damus, eſt enim vir-
 tus Deo cultum debitum, ceremonialiq;
 approbatas impendens. Hæc auctore Iſi-
 doro in etymologiis dicitur a relegando,
 quòd per eam religemus Deo animas no-
 ſtras. Vel vt ait Auguſtinus libro ſecundo
 de ciuitate Dei, a relegando Deum, quem
 negligentes amiſeramur. Id quod iam an-
 tea Cicero dixerat in libro de natura deo-
 rum. Eſt autem Dei cultus optimus, eum
 non ſolùm opere & voce, ſed pura & in-
 corrupta mente venerari. Eth iſti qui ſe
 Deo ligarunt votis, præcipuè appellen-
 tur religioſi, generaliter tamen omnes vi-
 ri pij virtutem colentes, Deumque cultu
 latræ venerantes religioſi vocantur, què-
 admodum hoc loco accipiuntur. Tu autem
 animaduerte, in toto hoc cantico nõ
 inuitari peccatores ad Dei laudes concin-
 endas. Inuitantur beſtiæ & pecora, &
 dracones, & alia, at hoc nomen peccator
 in toto hoc cantico non inuenitur, quia
 quatenus talis multo eſt feris immanior,
 peſſilientior, deteſtabilior. Tota mundi fa-
 brica eſt admirabilis quædam lyra ſuaue
 harmoniam efficiens, omnia enim ani-
 malia tam rationis expertia, quàm vten-
 tia ratione fides ſunt & chordæ ſuo mo-
 do temperatæ præter hominem ſcleribi-
 imbutum vniſque coninquinatum, qui
 quatenus talis neruus eſt abſque tempera-
 tione & modeltia, aut nimis incitatus, aut
 nimis tardus, nulla mediocritate prædi-
 tus, ad muſicam diuinarum laudum mi-
 nimè aptus & appoſitus. Quare ab hæc
 harmonia merito reiciitur. Nulla ita de-
 teſtabilis peſtis eſt, quæ non homini ab
 homine ſclerato naſcatur. Dicæ archus
 magnus philoſophus illuſtri laude cele-
 bratus edidit librum de hominum interi-
 tu, in quo enumeratis cauſis eluuiõnis, pe-
 ſtilentia, vaſtitate, ſerarum quoque repē-
 tinæ multitudinis, quarum vi & commo-
 tione, & immanitate multo mortales fue-
 runt vita priuati, deinde facta comparatio-
 ne colligit multo plures homines occiſos

Similitudo.

Ambro.

Gregor.

Bernar.

Hieron.

Auguſt.

Phil. 2.

Ephēſ. 4.

Iſidor.

Auguſt.

Cicero.

Similitudo.

do.

Dicæ.